Historia ecclesiastica.

Nestorius Haeresiarcha.

Sartorii Johannis: De Nestorio haeresiarcha Meletema I et II.

Thorunii ap. Joh. Balt. Bresleri. 1698.

Quod DEUS Bene Vertat!

Meletema Historico-Ecclesiasticum

prius,

DE

NESTORIO HÆRESIARCHA;

quod

PRÆSIDE

M. JOHANNE SARTORIO,

Gymn. Thorun. Prof. Publ.

publice tuebitur

ADAMUS **Deutschmann/** *Smigla-Polonus*,

Gymnasio valedicturus.

Habebitur in Auditorio Maximo, A. O. R. M. DC. IIC.

d. VI. Martii, Hor. consvet.

Thoruni,

opera Joh. Balthas. Bresleri, *Gymn. Typogr.*

VIRIS

Plurimum Reverendis, Clarissimis, Nobilissimo, Doctissimis,

DN. M. TOBIÆ Keller/

Invar. August. Confess. Eccles. per Majorem Poloniam Con-Seniori, & Smiglens. Pastori meritissimo,

DN. M. JOACHIMO Klepperbein/

Ecclesiæ Birnbaumens. quæ ibidem est, Lutheranæ, Pastori Primario dignissimo,

DN. ADAMO Deutschmann/

Sverinens. Eccles. Diacono optime merito,

DN. M. MARTINO Keller/

Smiglens. Eccles. Concionatori Pomeridiano, Scholæqve ibidem Rectori,

DN. MARTINO Stiller/

Fraustad. Notario Publico,

Dominis Patronis, Fautoribus, Affinibus, Consangvineis, omni honoris cultu æternum prosequendis,

Meletema hocce Historico-Ecclesiasticum in ulteriorem sui studiorumqve suorum commendationem submissa mente offert

ADAMUS Deutschmann/
Respondens.

In Nomine JESU!

CONSPECTUS THESIUM.

Furor Satanæ in Ecclesiam N. T. plantatam. 1. Ejus artes in excitandis hære-sibus atqve hæresiarchis. 2. Accessus ad *Nestorium.* Ejus errores. 3. Antesignanus hujusmodi errorum quis? *Facundus Hermianensis* notatus. *Theodorus Mopsvestanus* & *Diodorus Tarsensis* in fide suspecti. 4. *Anastasii,* Presbyteri Antiocheni, imprudens de B. Virgine dictum, cui *Nestorius* patrocinatur. 5. Eadem *Dorothei* in Deiparam petulantia. 6. *Nestorii* patria, studia, mores, dignitas, insolens ad Imp. sermo. 7. Ejusdem animus hodie ad extirpandos hæreticos, mox ad novam hæresin struendam proclivis. *Vincentii Lirinensis* de statu istius temporis querela. 8. *Nestorius* Christiparam ex Deipara faciens. 9. Idqve auctoritate Patrum ita loquentium. Utrumqve ineptissime. Ostenditur Patres ita non fuisse locutos; sed *Nestorio* plane contraria docuisse. 10. *Cyrilli Alexandrini* in componendo schismate studium. 11. Cleri Orientalis pars indigne ferens hunc novaturiendi pruritum, *Nestorio* & complicibus familiarem. 12. *Nestorii* pervicacia. Ejus literæ responsoriæ, ad *Cyrillum* datæ. 13. *Cyrilli* iterata admonitio, sed fastu excepta. 14. *Cœlestini,* Pontificis R. in Nestorianos zelus. 15. Synodus Alexandrina contra Nestorium coacta. 16.

I.

QVod veterator apud Comicum servus, herili filio, nuptiis impedito, responsum dedit; (a) *hac non successit, alia aggrediemur via:* id ad veteratorem diabolum commode potest trahi. Imminebat is Ecclesiæ decem persecutionibus, ut gravissimis, ita in quartum usqve seculum extractis; qvarum atrocitate cum eam frustra intelligeret peti, hæreses excitavit: ratus hoc medio, lucem Evangelii passim accensam, non modo obfuscatum iri; sed & erroribus, aliis supra alios inductis, Christianorum animos in monstrosa dogmatum præcipitia fore detrudendos. Primum illi studium fuit, salutis nostræ ἀκρόπολιν petere, jamqve divinam in Christo naturam, jam humanam arietare: quarum alterutra eversa, futurum sperabat, Incarnationis mysterium, quod Apostolo ὁμολογουμένως μέγα (b) audit, suapte sponte, nullaq; testudine admota, totum quantum abiturum in casum.

II.

Astu sane dæmonis factum est, ut densa hæreticorum seges, sub calculos cerebri sui Incarnationem divinam revocare sit ausa. Erant nonnulli, quibus caro Christi umbra videbatur & phantasma, cui præter inanem speciem nihil subesset. Ita deliravit Basilides, & Basilidis

 simia

(a) *Andr. Act. IV. Sc. 1.* (b) 1. *Tim. III.* 16.

ſimia Cerdo, hiſce expreſſis, qvæ apud TERTULLIANUM (c) reperias verbis: *non in ſubſtantia carnis, ſed in phantaſmate ſolo veniſſe Chriſtum; nec omnino paſſum, ſed quaſi paſſum; nec ex Virgine natum, ſed omnino nec natum.* Cerdonem præceptorem ſecutus eſt Marcion, hæreticus ille Antoninianus, (vixerat enim ætate Antonini Pii) itemqve mus Ponticus Afro eidem dictus, (d) qvi & argumentis in medium productis phantaſmata ſua probare allaborabat; ſed quem iſte pro merito ſuo libris quinqve caſtigatum dimiſerat. Alii carnem quidem Chriſto concedebant, ſed negabant ex Mariæ ſubſtantia eſſe traductam: editum quidem ab ipſa largiebantur, ſed eo modo, quo per canalem aqua effunditur, nulla ex aquis accepta materia. Sic Gnoſticis, ſic Valentinianis, ſic Encratitis, ſic Manichæis quondam viſum. Alii annuebant quidem carni ex Mariæ eſſentia derivatæ, ſed naturalem ex viro & muliere originem, ut noſtra eſt, cum Carpocrate commenti ſunt. Alii meliora his tradituri, altera naturæ parte Chriſtum privabant, anima nempe humana, ſubſtituentes in vicem ipſius divinam naturam, ne perſona geminaretur. Apollinarii hoc erat figmentum. Aliis placuit ex uno Chriſto duos facere: tradebant enim, in Chriſtum ex matre natum, merum hominem, deſcendiſſe cœlitus quendam Angelum, cui Jeſu nomen erat, &, velut in aliis Sanctis, ſic in iſto quoqve habitaſſe. Erant hæc Cerinthi, Gnoſticorum, & Pauli Samoſateni inepta ſomnia. Deniqve & his erroribus acceſſit cumulus, ut, quandoquidem unam tantum in Deitate eſſe perſonam aſſererent, etiam Patrem carnem aſſumſiſſe, & in hac paſſum eſſe mentirentur. Sic Valentinus hæreticus, & ipſius ſoboles Sabellius, & ante Sabellium Praxeas.

III.

Proſtant nimirum hæreticorum exempla, (repetenda prolixius apud *Irenæum, Philaſtrium, Epiphanium, Auguſtinum, Gennadium Maſſilienſem, Theodoretum,* aliosqve Hæreſiographos) qui myſterium Incarnationis ad cerebrum ſuum, velut ad lydium lapidem examinantes, ipſi ſeſe & alios enormiter deceperunt. Atq; utinam tam craſſiſſimorum errorum ſemina, juxta cum auctoribus ſuis pridem extincta aut ſuffocata fuisſent; vulnus ſibi inflictum Eccleſia utcunqve toleraſſet: verum cum ſubſecutis temporibus invenirentur, qui tametſi Chriſtum verum hominem non pernegarent, eum tamen ut Deum vere natum, vere paſſum, vere mortuum pro nobis fuiſſe, blaſpheme inficiarentur; recruduit prioris vulneris acerbitas, tanto quidem vehementius, quod in affinitatem

erroris

(c) *lib. de Hæreſ.* (d) *lib. I. adv. Marc. cap. 19. & lib. I. cap. 1.*

erroris permultos alliceret, qui hodiedum peſſimo dogmati haut obſcure patrocinantur. Inter hos hæreſiarchas claſſicum olim extulit Neſtorius, (e) Patriarcha CPlitanus, homo [ut de eo judicat SOCRATES (f)] *naturali quidem facundia præditus, indeqve eruditus viſus, revera tamen indoctus.* Qui cum ob dicendi facultatem (verba ſunt ejuſdem Auctoris) arrogantia elatus, non ſatis accurate vetuſtioribus legendis operam daret; ſed ſeipſum reliquis omnibus præſtare arbitraretur; peſtilentiſſimo errore (cujus ſumma huc redit: (α) naturas in Chriſto, divinam & humanam, non hypoſtaſi, ſed ſola habitudine uniri; (β) in Mediatore Θεανθρώπῳ duas admittendas eſſe perſonas; (γ) ipſam deniq; beatiſſimam Virginem, non perſonæ divinæ, ſed humanæ tantum Matrem dici poſſe; Χριστοτόκον adeo, non Θεοτόκον vocandam) tantopere infecit Eccleſiam, Orientalibus maxime in locis; ut reparando huic damno non aliud applicari potuerit remedium, quam ut maleſana hæreſis, junctis Orthodoxorum Patrum ſuffragiis, decreto Oecumenicæ Synodi, anathemate feriretur; cum finibus totius Orientis, tum præcipue proborum animis procul eliminanda.

IV.

Quanquam, ſi dicendum quod res eſt, incunabula tanti erroris non tam a Neſtorio, quam Neſtorii Magiſtro, repetenda ſunt. Fuit is Theodorus, Mopſveſtiæ in Cilicia Epiſcopus, quem non tantum Neſtorio, ſed & Pelagio in plurimis manifeſto præluſiſſe, evincunt ea, quæ leguntur apud MARIUM MERCATOREM, (g) ejuſdem, quo hæc contigerunt, Seculi Scriptorem, non injuria affirmantem, *quæſtionem contra Catholicam fidem, præcipue a Theodoro Mopſveſteno in Cilicia motam fuiſſe.* Scio, FACUNDUM, Hermianenſem in Africa Epiſcopum, Seculo VI. florentem, pro defenſione *Trium Capitulorum* libros XII, aliumqve poſtea contra *Mucianum Scholaſticum* ſcripſiſſe: in quibus Theodorum Mopſveſtenum,

(e) Non ille orthodoxus Phanagoriæ civitatis Epiſcopus & martyr, cujus mentio fit in *Concil. Chalcedon. Act. I. in princip. Hiſt. Tripart. lib. VI. cap.* 11. & apud *Niceph. Calliſt. Hiſt. Eccl. lib. X. cap.* 8. neqve egregius ille juvenis, qui Lycum pugilem vicit, & ob id Imperatoris juſſu occiſus eſt; *ſed lingva illa Deo inimica; alterum Caiphæ concilium; officina blaſphemiæ, in qua condicto pretio iterum venditur Chriſtus*, h. e. idem hic, de quo agimus, Neſtorius, vivis coloribus ita depictus ab *Evagrio lib. I. Hiſt. Eccl. cap.* 2. (f) *lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap.* 32. (g) *Præfat. ad Commonit.* Theodoſio Imp. adverſus Cœleſtianos oblatum. Quænam vero dogmata cum Pelagianis communia habuerit, ex ipſius, quæ hodie ſuperſunt, fragmentis, ſatis accurate exponit, qui ſub RIGBERII nomine (GABRIELEM GERBERONIUM eo tegi, notat *Gvil. Cave in Hiſt. liter.* p. 218) notas in Acta Marii Mercatoris dedit, Bruxellis A. 1673. in 12mo.

ſtenum, tanquam hominem Catholicum, omni quo potuit, ſtudio defendit, coacervatis pluribus SS. Patrum teſtimoniis exiſtimationem ejus ſartam tectam tuetur; quædam ipſius dicta excuſat, alia emollit, & commodo ſenſu explicat; quædam ab adverſariis truncata, interpolata, vel in alienum plane ſenſum detorta eſſe oſtendit. Sed hoc FACUNDI teſtimonium merito infacundum & ſuſpectum eſt, cum aliunde conſtet, hominem Concilio CPlitano II. (Oecumenico alias IV.) infenſiſſimum fuiſſe, nulla idonea de cauſa, quam quod ſibi cum nonnullis Epiſcopis, ibidem congregatis, & Tria Capitula damnantibus, non ſatis conveniret. Certe, impia dogmata foviſſe Theodorum, eaqve hauſiſſe a Diodoro Tarſenſi, (quo Præceptore juvenis uſus erat) adductis in hanc rem exemplis, ſcite oſtendit NATALIS ALEXANDER: (h) patetqve inter alia, ex doctiſſima Epiſtola PROCLI, Archiepiſcopi CPlitani, Anno 435. ad Armenos data, (i) qva is Theodori ac Neſtorii *nuper fabricatam novamqve blaſphemiam,* (ita ſonant expreſſa verba) *qvæ Judaiſmum, quod ad blaſphemiæ magnitudinem, longe ſuperat*, nervoſe refutat, intacto tamen Theodori nomine, ne Armenos, quibus cara erat iſtius memoria, offenderet. Nec refert, Diodorum Tarſenſem a pluribus Patrum laudari, (quorum, ut dixi, teſtimonia ad ejus encomium pertinentia, recitat *Facundus*) eundemqve Athanaſii, Baſilii, & Epiphanii amicitia fuiſſe uſum. Nam, ut recte obſervat idem *Doctor Sorbonicus*, (k) ob integram de Trinitate fidem, hanc laudem & amicitiam a Patribus impetravit, utpote qui rem orthodoxam adverſus Arianos ſtrenue defendit, eoqve nomine a Meletio, Epiſcopo Antiocheno, A. 378. Tarſenſium Epiſcopus eſt renunciatus. Ejus vero de Incarnatione dogmata non excuſſerunt veteres illi Patres, nec ad ea forſan attenderunt: aut certe, antequam hæ quæſtiones agitarentur, putarunt hæc ab eo innocenter dicta; qui nec ſententias iſtas prædicabat, propugnabatve pertinacius, nec ab Eccleſiæ communione recedebat, imo ejus fidem ac unitatem omni modo tutatus eſt.

V.

Prætulit etiam huic errori facem Anaſtaſius, Presbyter Antiochenus, longo rerum uſu Neſtorio conjunctiſſimus. Sive enim Antiochia fugeret, ut placet SOCRATI, (l) ſive amicum ſponte CPlim ſequeretur; factum profecto, ut aliquando ſermonem ad populum facienti, hæc

ineptis-

(h) *Hiſt. Eccleſ. Seculi V. Parte II. Diſſert. VI. p.* 215. (i) Extat hæc epiſtola Græco-Latina *Tom. III. Concill.* a Labbeo & Coſſartio editorum, *p.* 1217. (k) *loc. prom. cit. pag.* 216. (l) *lib. VII. Hiſt. Eccl. cap.* 32. *edit. Valeſ.*

ineptiſſima excideřent verba: *Nemo Mariam vocet Deiparam; Maria enim homo fuit: ex homine autem Deus naſci non poteſt.* Excitavit inſolens vox magnos populi fremitus tumultusqve, quos Neſtorius, Antiſtes loci, tantum abeſt ut componeret, ut potius magis magisqve excitaret; Anaſtaſii imprudentiam non modo ut piam tutatus, ſed & publice pro concione collaudans, additis (ſi diis placet) egregiis hiſce formulis: *Bimeſtrem aut trimeſtrem factum nequaquam dixerim Deum.* Item: *Noli gloriari Judaee, non enim Deum, ſed hominem crucifixiſti.*

VI.

Nec prætereundus eſt Dorotheus, Martianopolitanus Epiſcopus, ſecundæ Mœſiæ Metropolita. Hic in Eccleſia coram Neſtorio ſacris operante, (m) cum in editiorem cathedram irrupiſſet, ex ea repente, qui Deiparæ vocem uſurparent, omnibus anathema conclamavit. Refert hæc de eo CYRILLUS, (n) dum ita ſcribit: *Erat Epiſcopus quidam, Dorotheus nomine, Conſtantinopoli, eadem qua Neſtorius, ſapiens & ſentiens, Vir quæſtus cauſa adulationi impenſe deditus, lingvaqve ad temeritatem uſqve, ut ſcriptum eſt, promptus. Hic dum ſacra peragerentur, reverendiſſimo Neſtorio, in cathedra Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſedente, ſurrexit, & magna elataqve voce inclamare auſus eſt: Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema ſit. Mox ingens univerſi populi clamor, & diſceſſio conſecuta eſt. Nolebat enim diutius cum eo communionem habere, qui tali mente, taliqve ſenſu præditus eſſet.* Sub finem vero Epiſtolæ hæc ſubjungit: *Ad Neſtorium autem quod attinet, & magni illi, admirabilesqve & celebrati Patres noſtri, qui ſacram Virginem Deiparam eſſe dixerunt, & nos ipſi quoqve, qvi adhuc ſuperſtites ſumus, una cum ipſis, anathemate percuſſi ſumus. Quamvis enim is ore ſuo id facere noluerit, attamen ſedens & audiens alium, nempe ſupra memoratum Dorotheum, ut hoc diceret, induxit, ſubornavitqve: cui etiam confeſtim, ubi e cathedra deſcendiſſet, in divinorum myſteriorum celebratione communicavit.*

VII.

Iſtud interim in confeſſo eſt, quocunqve modo errori huic peſtilentiſſimo præitum eſſet, a Neſtorio tamen præcipuum pondus illi acceſſiſſe, ut qui hæreſin, qua pollebat auctoritate, fibris quaſi additis in robur erexit. Equidem non alienum a ſcopo fuerit, hominis vitam ſtrictim referre, ut, quibus moribus adoleverit, quibus mediis ad tantæ dignitatis apicem evaſerit, facilius innoteſcat. Sunt, qui cum BARONIO, (o) Patre Cilice, (Theodoro ſcilicet Mopſveſteno) avo autem

Paulo

(m) *Conf. Hiſtoria Concilii Epheſini apud Bin. lib. I. Concill. part. II.* (n) in Epiſtola ad Cœleſtinum, Epiſcopum Romanum, quæ habetur *Tom. V. Opp. part. II.* (o) *Annal.*

Paulo Samosateno, famosissimo hæresiarcha natum affirment, vix idoneo auctore suffulti, quam quod apud SUIDAM (p) legas, Nestorium his parentibus suum ortum debere. Sed cum hujus asserti vestigia, apud Scriptores Ecclesiasticos vix reperias; textum Suidæ, de hæreseos potius, quam de generis prosapia malim esse intelligendum. Istud certius est, quod de eo prodit SOCRATES, (q) natione fuisse Syrum, Germanicia oriundum, Syriæ Euphratesiensis oppido. Præceptore usus Theodoro, in Monasterio S. Euprepii educatus, inde Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter factus est. Ac tametsi ab eruditione solida parum esset instructus; (r) tamen qvia erat *sonora voce & expedita facundia*, (verba sunt ejusdem Scriptoris) factum omnino est, ut prævia Aulicorum apud Imperatorem commendatione, Antiochia evocatus, (placuit enim Magistratui, neminem ex Ecclesia CPlitana ad Episcopatum promovere, licet multi Philippum, nec pauciores Proclum ordinari summo studio contenderent: peregrinum igitur hominem Antiochia evocare satius visum fuit) in Sisinnii, Patriarchæ CPlitani, A. C. 427. d. 24 Decembr. fato functi, locum succederet, sediqve Episcopali An. 428. d. 10 Aprilis, solenni ritu præficeretur. Tum vero, quali ingenio & quibus moribus esset, ex prima ejus concione, (s) prudentiores quiq; statim deprehenderunt. Quippe ipso, qvo ordinatus est die, coram multitudine frequentissima, his verbis affatus est Imperatorem: *Da mihi, Imperator, terram hæreticis purgatam, & ego tibi cœlum retribuam. Mecum hæreticos debella; ego Persas tecum debellabo.* Quæ verba (ut judicat idem Socrates) licet quidam ex vulgo, qui hæreticos oderant, libenter amplexi sint, iis tamen, qui interiorem animi sensum ex verbis conjicere norunt, perspecta statim fuit hominis levitas & violentia, cum inanis gloriæ studio conjuncta; quippe qui ne brevissimi quidem temporis moram sustinens, in hujusmodi verba prorupisset, & antequam ipsam, ut vulgo dicitur, civitatis delibasset aquam, acerrimum se persecutorem ostenderet.

IIX. Neqve

Eccles. ad An. C. 428. aphor. 20. (p) *in Lexico*, sub nomine Νεστόριος. (q) *Hist. Eccl. lib. VII. cap. 29.* (r) Ita enim de eo prodit *Socrates lib. VII. cap. 32. Cum naturali facundia esset præditus; eruditus quidem videbatur, revera tamen erat indoctus. Libros etiam veterum interpretum haud quaquam legere dignabatur. Arrogantia enim elatus ob dicendi facultatem, non satis accurate vetustioribus legendis operam dabat: sed seipsum reliquis omnibus præstare arbitrabatur.* (s) Ad quem quidem Socratis locum scite observat *H. Valesius*, apud antiquos studiose observatum fuisse, quid Episcopi, ac præcipue Ecclesiarum Antistites, in prima ad populum concione dicerent. Ex ea enim concione de fide cujusqve Episcopi, & de doctrina ac moribus conjecturam faciebant. Quare notari tunc solebant eorum dicta, & memoriæ commendari.

Neqve his verbis conatus defuit. Etenim quinto post ordinationem die Arianos Ecclesia pepulit; Quartodecimanos per Asiam, Lydiam, & Cariam multum afflixit; Macedonianos, per Antonium Germensem Episcopum, in Hellesponto acerbe exagitavit; Manichæos habita CPli An. 430 Synodo damnavit; (ff) ipse mox hæresiarcha asperrimus factus. Quippe Anastasium Presbyterum, (ut proxime dictum) blasphemum dogma publice docentem, Mariam scilicet Virginem non Deiparam, sed Hominiparam dicendam esse; quem pessimi erroris convincere ac coercere debuisset, tantum abest, ut vi officii reprehenderet, ut auctoritate potius sua tueretur, ejusqve loquendi modos, ceu sanos & Scripturæ conformes, approbaret. Cohorruit ad tantæ novitatis exemplum omnis populus, scissisqve, ut fit, partium studiis, pars adhærescere Nestorio, pleriqve impium dogma aversari. *Qualem tum temporis Ecclesiæ putamus fuisse tentationem,* (ita merito exclamat VINCENTIUS LIRINENSIS, (t) intuens tristissimam illius ætatis Ecclesiæ faciem) *cum infelix ille Nestorius subito ex ove conversus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset? Cum hi ipsi, qui rodebantur, ex magna adhuc parte ovem crederent, ideoqve morsibus ejus magis paterent. Nam quis tam facile errare arbitraretur, quem tanto Sacerdotum studio prosecutum videret? qui cum magno Sanctorum amore, summo populi favore celebraretur, quotidie palam divina tractabat elogia, & noxios quoqve Judæorum atqve Gentilium confutabat errores. Quo tandem justo modo non cuivis fidem faceret, se recta docere, recte sentire? Scilicet cunctas alias insectabatur hæreses, ut uni suæ patefaceret aditum.*

IX.

Atqve ut aliqualem eruditionis Theologicæ speciem præ se ferret, distinctiunculam quandam commentus est, qua beatissimam Virginem, neqve Deiparam, neqve hominiparam; sed Christiparam nuncupavit: ratus hoc medio, nec Christum morti obnoxium se asserturum, nec alteram in partem inclinando, eum immortalitate privaturum. Ita enim ipsemet suo se indicio, ut sorex prodit, dum in Apologia, apud EVAGRIUM legenda, (u) mentem suam hunc in modum recludit. *Cum Ecclesia,* inquit, *in partes divisa esset, alii quidem hominiparam, alii Deiparam Mariam appellandam esse affirmarent; ne duorum alterum peccarem, aut immortalia copulans mortalibus, aut si ad alteram partem me adjunxissem, exciderem altera, vocem Χριστοτόκον excogitavi.* Gemina de eo

 prodit

(ff) *Socrates lib. VII. cap. 29. 31. & 32.* (t) *contra Hæres. cap. 6.* (u) *Hist. Eccles. lib. I. cap. 7.*

prodit THEODORETUS, (v) Nestorio cæteroquin addictior, [modo locus non sit supposititius, ab aliquo Theodoreti nominis, circa tempus Synodi quintæ affutus, (x)] qui & causam addit, cur potius Christiparam dicere mallet, quia scilicet Christi appellatio duas naturas significet, divinitatem unigeniti & humanitatem. Ipse denique NESTORIUS, ne quis de mente ejus subdubitet, verbis satis perspicuis seipsum explicat, dum Epistola ab Cyrillum exarata ita scribit: (y) *Quapropter si rem diligentius consideremus, sacra Virgo non Deipara, sed Christipara appellanda erit. Audi, quomodo Evangelia istud proclament:* Liber, *inqviunt,* generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. *Atqui perspicuum est, Deum Verbum non extitisse Davidis filium.* Et mox: *Rectum proinde, evangelicæqve traditioni consentaneum est, ut Christi corpus divinitatis templum esse confiteamur, illudqve nexu usqve adeo sublimi, divinoqve & admirabili ipsi conjunctum, ut dicamus, divinam naturam ea sibi vendicare, quæ corporis alioqui sunt propria. Verum propter hanc appropriationem, divino Verbo adscribere nativitatem, passionem, mortem, cæterasqve carnis proprietates, id demum, mi frater, mentis est aut ethnicorum more vere errantis, aut certe insani Apollinarii, & Arii, aliorumqve hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis. Necesse est enim istos, per appropriationis vocabulum eo trahi, ut Deum Verbum lactationis participem, & succedanei incrementi capacem, & ob formidinem passionis tempore declaratam, angelici præsidii indigum faciant.*

X.

Imo, quæ insolentia fuerat hominis impudentis, hac ipsa, quam citavi, ad Patriarcham Alexandrinum perscripta epistola, non erubuit in suæ sententiæ patrocinium eos accersere, qvi, ut Doctores Ecclesiæ habiti, nec, quantum ad Incarnationem divinam, in orthodoxia temere lapsi essent. *Penitius,* inquit, *si ita videtur, illorum* (Ecclesiæ Doctorum) *dicta introspice, & divinum illum Patrum chorum nusquam docuisse comperies, consubstantialem divinitatem patibilem esse: aut, quæ Patri coæva est, recens natam esse, aut quæ templum solutum exsuscitavit, exsuscitatam esse.* Quasi vero SS. Patres, tam blasphemi dogmatis assertores extitissent, nec ipse potius Nestorius, [quod est PHOTII de eo judicium (z)] cum turbida Diodori & Theodori fluenta exsorberet, ac in mentis ebrietatem incideret, absurda & inepta verba, ad gregis perniciem, in multorum aures

(v) *lib. IV. Hæretic. Fabul. cap. XII.* quod de Nestorio inscribitur, sub fin. (x) Quæ conjectura est *Gvil. Cave Hist. liter. p. 225.* (y) Quæ extat in Actis Concilii Ephesini, videndis *Tom. III. Concill.* Labbei & Cossartii, *part. I. cap. IX. pag. 325.* (z) *libello de Synodis,* quæ extat *Tom. III. Concill. pag. 1253.*

aures effudiſſet. Equidem, indoctum hominem, nihil minus quàm cum Patribus locutum fuiſſe, ſed mente lingvaqve ab eis diſceſſiſſe, oſtendunt manifeſte horum teſtimonia, Neſtoriano errori e diametro opponenda. Sub initium Seculi II. ita hac de re ſcripſit IGNATIUS: (aa) *Filius Dei, qvi ante ſecula natus eſt, ipſe in utero portatus eſt a Maria ſecundum Dei diſpoſitionem, ex ſemine David & Spiritu Sancto.* Eodem Seculo floruit IRENÆUS, qui dum teſtaretur, (bb) Cerinthum docuiſſe, Jeſum fuiſſe Joſephi & Mariæ Filium, in quem poſt Baptiſmum Chriſtus deſcenderit in figura columbæ; idqve refutaret prolixe, (cc) tandem inter alia ſic loquitur: (dd) *Ecce Virgo concipiet in utero, & pariet Filium, & vocabit nomen ejus Emanuel, quod interpretatum eſt, nobiſcum Deus: manifeſte ſignificans, & eam promiſſionem, quæ fuerat ad Patres, impletam, & Virgine natum Filium Dei, & hunc ipſum eſſe Salvatorem Chriſtum, quem Prophetæ prædicaverunt, non ſicut ipſi* (Cerinthiani) *dicunt: Jeſum quidem ipſum eſſe, qvi ex Maria ſit natus, Chriſtum vero, qui deſuper deſcendit.* Et mox: *Neqve alium quidem Jeſum ſuſpicemur fuiſſe, ſed unum & eundem ſciamus Deum eſſe.* Seculo IV. ATHANASIUS, ut paſſim in diſputationibus contra Arianos, ita inprimis in oratione, quod unus ſit Chriſtus, planis conceptiſqve verbis teſtatur, quam illi longe alia mens a Neſtorio fuerit, dum ait: (ee) *Oculis & auribus cognoſcitis, eundem ſimul Deum & hominem. Si enim Deus duntaxat fuiſſet, quomodo paſſus fuiſſet? quomodo deniqve aut crucifixus, aut mortuus? cum alieniſſima ſint iſta a Deo. Rurſus ſi homo duntaxat, quomodo per paſſionem viciſſet, ſervaſſet, vivificaſſet? Hæc ſupra hominem erant: atqve idem & patitur, & ſervat, & per ipſam paſſionem victoriam parat; idem Deus, idem homo, idem utrumqve ſimul, & unum quiddam, & ſingulum, ut ſolum.* Eodem Seculo HILARIUS ita docuit: (ff) *Unus unigenitus Deus, in corpuſculi humani formam, ſanctæ Virginis utero inſertus, accreſcit. Qvi omnia continet, & intra quem omnia ſunt, humani partus lege profertur.* Gemina ſtatuit BASILIUS: (gg) *In his omnibus non duo dicimus, Deum ſeorſim, & hominem ſeorſim, (nam NB. unus erat) ſed cogitatione naturam cujuslibet cogitamus.* GREGORIUS vero NAZIANZENUS diſertiſſime: (hh) *Si quis ſanctam Mariam Deiparam*

 non

(aa) *Epiſt. ad Epheſ.* (bb) *lib. I. adv. Hæreſ. cap. 25.* (cc) *lib. III. cap. 17. ſeqq.* (dd) *Eod. lib. cap. 18.* (ee) *fol. 667. B.* Hæc ille convenienter ſacris literis, quibus & Deus dicitur, *Joh. I. v. 1. ſeqq.* & Homo: quæ dicta idem Athanaſius eodem fine producit *de Incarnat. fol. 623. A.* Conf. Ejuſdem Orat. *de ſalutari Adventu Chriſti fol. 644.* (ff) *lib. II. de Trinit.* (gg) *lib. IV. adv. Eunomiam.* (hh) *Epiſt. I. ad Cledonium pag.* 738. Edit. Colon.

non credit, extra divinitatem est. Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in ea divino modo, qvia absqve Viri opera: humano, qvia juxta pariendi consvetudinem formatum esse dixerit, aqve atheus est. Si quis formatum hominem fuisse, Deumqve postea subiisse dicat, damnationi obnoxius est. Hoc enim non Dei generatio fuerit, sed generationis fuga. Si quis duos Filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex matre, non autem unum atqve eundem induxerit, is ab ea quoqve Filiorum adoptione excidat, quæ recte credentibus promissa est. Quanquam enim Deus & homo duæ naturæ sunt, quemadmodum & anima & corpus, non tamen duo Filii nec Dii, quemadmodum ne hic quidem duo homines, tametsi Paulus ad hunc modum internam & externam hominis partem appellaret. Alia Patrum testimonia, sua & superiori ætate viventium, adducit CYRILLUS, libro Reginis nuncupato. (ii) E quibus, & similibus Parrum sententiis, palam conficitur, frustra Nestorium ad consensum orthodoxæ Ecclesiæ provocasse, cui ne per somnium unquam incidit, inficiari in Christo unam communem utriusqve naturæ hypostasin, & duas in eodem personas comminisci.

XI.

Tam crassus proinde error, ab auribus Orthodoxorum prorsus abhorrens, quemadmodum occultari diu non poterat; ita per ora hominum ubiqve sparsus, tanta famæ velocitate passim accrevit, ut in notitiam CYRILLI, Patriarchæ Alexandrini, facile perveniret. Senserat vigilantissimus Antistes, errorem, si diutius serperet, incrementa acceptum; eo magis, quod nec præsidium illi ex auctoritate Nestorii defuturum esset; & simplicior populus, facundia hæresiarchæ illectus, levi opera novaturientium pruritui posset intricari. Itaqve re attentius secum deliberata, primum ad Monachos Ægypti gravem componit epistolam, (kk) qva eos a novis dogmatibus sectandis serio dehortatur; mox ad Cœlestinum, Sedis Romanæ tunc Episcopum, quid turbæ intra Orientem excitatum sit, familiariter perscribit, virumqve graviter monet, ut imminenti malo, Ecclesiam misere labefacturo, junctis secum viribus obviam eat; ea præsertim ratione, quod incendium in urbe regia exortum late vagari, collectisqve fomentis facile totum terrarum orbem posset implere. Ac ne mitiorem viam præteriisse videretur, cum ipso quoqve Nestorio (quem sibi succensere acceperat, propter epistolam ad Ægypti Monachos datam) per literas amicissime colloqvutus est, primo aliquatenus se excusans, deinde summa animi lenitate contendens, ut

(ii) Extat *I. Parte Concil. Ephes. cap. IV. Tom. III. Concill. pag. 118. seqq.* Edit. Paris.
(kk) legenda *I. Parte Conc. Ephes. cap. II.*

ut si qva ab amussi recte sentiendi excidisset, tempestive ad frugem meliorem rediret, nec hiantia vulnera, per Arium, aliosqve hæresiarchas Ecclesiæ inflicta, sua præterea manu laceraret in pejus. (ll)

XII.

Indignissime præterea hunc novaturiendi pruritum, Nestorio & complicibus familiarem, tulit Clerus Orientalis, saltem illi, qvi Ecclesiæ convulsionem serio miserati sunt. Ac primo quidem, Anastasio res novas molienti, simplex quidam Monachus palam contradixit, & Anastasium, velut hæreticum, ab Ecclesiæ ingressu arcere conatus est. Sed Nestorii potentia oppressus, flagris publice cæsus, & in exilium missus est: ut testatur Basilii Diaconi reliquorumqve Monachorum ad Theodosium Imp. supplicatio. (mm) Visa hac Nestorii crudelitate, quodqve erroris pertinacissimus esset, mox Clerus, Senatus, & præcipua Urbis pars a synaxibus abstinere cœperunt, contestatione publice proposita, & publicata in Ecclesiis, Nestorium, loci Episcopum, ejusdem esse sententiæ cum Paulo Samosateno, ante CLX annos ab orthodoxis Episcopis anathemate condemnato. (nn) PROCLUM inprimis, qvi a Sisinnio Cyzicenorum Episcopus ordinatus fuerat, ea res male habuit, permotum inde, ut frequentissimo omnium Ordinum cœtu, A. C. 429. d. 29 Martii, vehementissima pro Virgine Deipara oratione, in Nestorium inveheretur. (oo)

XIII.

Quid vero ad hæc omnia Nestorius? Stomachari, fremere, palam indignari. Non potuit concoquere Cyrilli epistolam, ad Ægypti Monachos scriptam: itaqve ut virulentius huic ipsi noceret, accusatores subornavit, qvi oblatis Theodosio libellis, Cyrillum turbarum, & pene usurpatæ in Ægypto tyrannidis reum agerent. Quantum vero apud Imperatorem, more apud aulicos familiari, proficeret, satis testatur hujus epistola, ad Cyrillum missa, iratum Principis animum haut obscure declarans. Recitabo potiora momenta, unde, quid malevolorum artes valeant, Principe ad obtrectationes proclivi, facile intelligere possis: (pp) *Nunc igitur tua pietas exponat, quid ita Nobis, quibus religionem tantopere curæ non esse ignorabas; Sacerdotibusqve quotquot circumquaqve degunt, (quos utiqve in unum locum congregatos, natam de religione controversiam discutere dirimereqve par erat) despectis,* (en malevolorum artes, sinistra delatione Cyrillum apud Imp. criminantes, cum ex dicen-

 dis

(ll) Extat Epistolæ hujus, ad Nestorium scriptæ exemplum, in eadem, quæ proxime citata est, *I. Parte Concil. Ephes. cap. VI.* (mm) quæ habetur *loc. prox. cit. cap.* XXX. (nn) Extat *Parte I. Conc. Ephes. cap.* XIII. (oo) *Ibid. cap. I.* (pp) *Ibid. c.* XXXI.

dis Th. XVI, clarissime pateat, Cyrillum, coacta Alexandriæ Synodo, rem omnem cum Clero ingenue communicasse) *hasce turbas discordiasqve inter Ecclesias, quantum in te est, concitaris. Quasi vero impetus temerarii pietatis doctrinam magis, quam sedula diligensqve veritatis inquisitio decere videantur; plusqve apud Nos valeat audacia, quam adhibita industria; aut perplexa Nos magis hujusmodi rerum tractatio, quam simplicitas oblectet. Certe summum honorem, in qvo apud Nos erat, non ita accepturam pietatem tuam existimabamus, aut omnia turbatum iri, cum Nos etiam indignari sciamus. Verum cura Nobis erit Ecclesiæ tranquillitas. Scito interim, magnam abs te rerum perturbationem excitatam esse. &c.* Ipse quoqve Nestorius, per Lamponem Presbyterum & Monachum, responsorias ad Cyrillum adornavit, frigidas satis & jejunas, nec satis dignas, quæ hominem ab hæreseos crimine purgare possent. (qq)

XIV.

Non dejecerant Cyrilli animum tam subdolæ artes, tamqve acerbus epistolæ tenor, a Majestate præscriptus. Quantumvis enim in contumeliam traheret Imperator, quod ad Evdoxiam conjugem, & Pulcheriam sororem, Augustas, suam de recta fide sententiam, libello exposuisset Cyrillus; (rr) tamen & Imperatori cordate respondit, & Nestorio tergiversanti ulcus tetigit, data ad hunc iterata admonitione, ut spretis anilibus rumusculis, (Viro Episcopo auditu indignis) delirare tandem desisteret, & officio digna doceret. Ita sane auspicatur epistolam suam, parte prima Concilii Ephesini capite octavo, legendam: (ss) *Intelligo quosdam meæ apud tuam pietatem existimationi detrahere, multaqve temere effutire; idqve crebro, ac tum maxime, quando Magistratus coguntur: fortasse etiam nonnullam hac ratione oblectationem auribus tuis afferre se opinantes: homines nulla unquam injuria a me affecti, sed salubriter tantum convicti: --- --- Verum istos, & si qui sunt ejus farinæ alios, non multum moror; --- --- sed te veluti fratrem in Domino etiamnum admonere non gravabor, ut prædicationis sermonem, fideiqve doctrinam cum omni cautione populo proponas; cogitesqve serio, si vehementer illi Deum irritant, qvi e pusillorum numero vel unum tantum in Christum credentem scandalizaverint; quanta diligentia, quantaqve dexteritate opus sit, si tota quædam multitudo gravius offensa sit, ut scandalis prudenter præcisis, sanum fidei sensum sermonemqve veritatis studiosis afferamus.* Idem ibidem virum hortatur, ut legat & sequatur SS. Patres; nihil inter concionandum populo proponat,

(qq) *Ibid. cap. VII.* (rr) *Ibid. cap. IV. & V.* (ss) *Tom. III. Concill. pag. 316.*

nat, quod eidem ſcandalum præbeat; ſuam deniqve circa Incarnationem Verbi divini fidem exponat. Cui fraternæ admonitioni, nihil quod manſvetudinem Chriſtianam, bene quod inſolentiam faſtumqve ſaperet, Neſtorius per epiſtolam repoſuit. In ea monet Cyrillum, ut attendat lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Scribit, Cyrillum obiter duntaxat Sanctorum traditionem legiſſe; inſcitiam venia dignam imbibiſſe: adhæc, quod arbitratus perperam fuerit Verbum Dei patibile ab illis esſe traditum. Tandem iſtud proterve adjicit, Virginem Mariam non Deiparam, ſed Chriſtiparam eſſe appellandam.

XV.

Cœleſtini etiam zelus hac in parte laudandus eſt, quod ad Cyrilli inſtantiam, in commenta Neſtorii ſolicitius inquiſiverit. Quidni enim laudem promereatur, qvi omni ſtudio intendit, ut Neſtorium, tam graviter lapſum, viciſſim erigat. *Interim noſtrarum partium eſt*, [ita ſonant verba epiſtolæ ad Cyrillum exaratæ (tt)] *ut illum in præcipitium proxime adductum, vel in ipſo verius præcipitio, unde eum prolabi neceſſe eſt, jam conſtitutum, ſi qua ratione poterimus, a lapſu prohibeamus; ne, ſi opem non tulerimus, ipſum ad caſum impuliſſe videamur.* Num vero & hoc laudari debeat, Neſtorium inauditum, extra Synodum generalem, anathemate ferire, iſtud vero mitiores diſpiciant. Factum id tamen a Cœleſtino, Neſtorium his verbis increpante: (uu) *Aperte igitur hanc noſtram ſcias eſſe ſententiam, ut niſi de Chriſto Deo noſtro ea prædices, quæ Romana, & Alexandrina, & univerſalis Eccleſia catholica tenet, ſicut & ſancta CPlitanæ magnæ urbis Eccleſia ad te uſqve optime tenuit, & hanc perfidam novitatem, quæ hoc quod venerabilis ſcriptura conjungit, nititur ſeparare, intra decimum diem a primo innoteſcentis tibi hujus conventionis die numerandum, aperta & ſcripta confeſſione damnaveris, ab univerſalis te Eccleſiæ catholicæ communione dejectum.* Equidem EDMUNDUS RICHERIUS, Doctor ac Socius Sorbonicus, hunc zelum non probat: (vv) patetqve ex reſcripto Impp. Theodoſii & Valentiniani, directo ad Cyrillum Alexandrinum, ſed quod per ejuſdem latus Cœleſtinum (ac ſi potius monarchice quam ſynodice Neſtorium condemnaſſet) haut obſcure ita ferit: (xx) *Etenim jam inde a primis uſqve temporibus non imperantis cujuſpiam, aut certe imperium uſurpantis interminationes aut proterviæ, ſed ſanctorum Patrum, ſacrarum-*

(tt) *Ibid. pag.* 346. (uu) Extant hæc verba in Epiſtola Cœleſtini ad Neſtorium ſcripta, legenda *Tom. III. Concill.* ad Regiam Editionem exactorum, *pag.* 361. (vv) *lib. I. Hiſt. Concill. cap. VII. num.* 2. *pag.* 266. (xx) Reſcriptum hoc Impp. vide *Tom. III. Concill. pag.* 433.

crarumqve Synodorum decreta, pietatis doctrinam Nobis constituerunt. Nam religionem prudentia & consilio, magis quam cujusquam imperio firmari, nulli opinor dubium esse potest.

XVI.

Moderatius medium amplexus est Cyrillus, qui tertiam tandem epistolam, & suo & Synodi Ægyptiorum Alexandriæ coactæ, nomine, Nestorio scripsit, inqve ea Articulum de Unione solidissime declaravit, & quomodo hæresis Nestoriana corrigi debeat, nervose ostendit; (yy) tandemqve duodecim epistolæ anathematismos, sive, ut vocari solent, capitula subjecit. Tenor literarum, nomine Synodi hujus Alexandrinæ exaratarum, ita ex parte se habet: *Ecce igitur una cum sancta synodo, qvæ in magna Romanorum civitate sanctißimo & reverendißimo Episcopo, fratre ac comministro nostro, Cælestino præsidente convenit, jam* TERTIO *his te literis contestamur & obtestamur, ut consilium nostrum secutus, a stolidis istis absurdisqve dogmatibus, quæ foves, publiceqve doces, abstineas; fidemqve rectam, & jam inde ab initio per sanctos Apostolos & Evangelistas, qui Verbi spectatores & ministri fuerunt, ecclesiis traditam reverenter suscipias. Quod sane nisi juxta tempus in literis Cælestini, sacratißimi reverendißimiqve fratris & comministri nostri, Romanorum Episcopi, expressum præfinitumqve præstiteris, certo scias, nullam tibi deinceps cum Episcopis & Sacerdotibus Dei sortem, nullam tui rationem, nullum deniqve inter eos locum futurum esse.* Sed neqve Cœlestini Pontificis, neqve Johannis Antiocheni, (zz) neqve Cyrilli Alexandrini, Episcoporum, literæ apud hominem intractabilem quidquam profecere, cui satius visum in errore perseverare, quam ad gremium Ecclesiæ, unde sua culpa excidit, semet recipere.

(yy) *Ibid. pag.* 396. (zz) Nam & hic Nestorium per epistolam mitissime monuit, legendam *Tom. III. Concill. pag.* 388.

S. D. G.

Bella tibi, sed bella placent, *cultißime* Deutschmann/
Docta sternenti dogmata prava manu.
Compositis equidem vixisti moribus, artes
Sectatus vigiles dexteritate pari.
I felix: sic fiet enim, Bellator ut instes,
Qui DOMINI quondam BELLA, quod opto, geras. 1. *Sam. XVIII.* 17.

ORNATISSIMO RESPONDENTI
ob pietatis, doctrinæ, & morum elegantiam,
laudem bonam merenti
scrib. lubens
PRÆSES.